

**www.e-rara.ch**

**Dialogorum Platonis argumenta**

**Tiedemann, Dieterich**

**Biponti, MDCCCLXXXVI [1786]**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Critias.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

verunt: horum qui maxime fuerunt excordes, in reptilia sunt mutati. Quartum autem & ultimum aquaticorum animalium genus, ex omnium stolidissimis & ignarissimis, a Diis, ne respiratione quidem pura dignos existimantibus, est factum. Hunc eundem in modum animalia etiam nunc, prout mentem aut abiecerint, aut exercuerint, in se invicem mutantur. Manifestum est hinc, quod supra iam innuimus, unum esse modo animarum genus omni animantium generi commune, nec specie aut gradu distinctum: quae omnia a Pythagoreis Plato accepit.

---

## C R I T I A S.

**N**ARRANTUR in hoc dialogo a Critia vetustissimae Atheniensium res, tempore eo gestae, quo Atlantis insula adhuc existabat; adeoque continuatur, quae a Solone ex Aegypto dicebatur in Timaeo advecta, summae antiquitatis traditio. Expositis principio Atheniensium rebus, breveque de eorum republica narratis nonnullis, ad similitudinem reipublicae a Platone delineatae, & legum ab eo latarum proxime accendentibus; ad Atlantidis incolas transit Critias, ab eorum origine & vivendi ratione rem repetens, quo ad narrandum bellum, hos inter & Athenienses gestum, sese accingeret: id priusquam attingit dialogus, iniuria temporis intercepto fine, concluditur. Qui autem eius fit scopus, e Timaeo liquet, ubi ita inter se rem Timaeus & Critias partiuntur, ut Timaeus de generis humani prima origine & creatione, Critias de hominibus, legum ope formati, differat, & priscorum Atheniensium rempublicam qualis fuisset narrando, beatae alicuius ac optimae reipublicae exemplar proponat. Qua in re Platonis videtur scopus fuisse, suas leges suamque rempublicam magis commendare, & fieri posse, quae optima existimasset, quasi fa-

Etiam olim essent, evidentius demonstrare. In eo autem, quod supereft, huius dialogi fragmento legitur nihil, quod in libris de republica ac legibus non contineatur: reliqua ab auctore finguntur, quibus adeo immorari nihil est necesse. Iure hic dialogus inter fabulas Romanenses, & politicum quidem earum genus refertur.

## P A R M E N I D E S.

**O**MNIUM Platonis dialogorum obscurissimus dubio procul est hic, tum argumenti natura, tum sermonis philosophici inopia; altera, quod res omnium abstrusissimas, tum temporis novas adhuc & insolitas tractat, quae ne fatis clare quidem adhuc intelligebantur; altera, quod inventa nondum erant his notionibus accurate distinguendis vocabula, adeoque insolito orationis genere philosophus congregabatur uti: accedebat, quod vocabula, quorum frequentissimus est in hac disputatione usus, ambigua sunt non in Graecorum modo, sed in omni sermone, priusquam ab accurate philosophantibus significationes distinguantur & constiuantur, quodque in prisca Graecorum lingua pluribus ea laborant ambiguitatibus, quam in recentiorum ulla; quod his ambiguitatibus omnes ferme nituntur conclusiones, & sophismata, quorum quasi nubem hic dialogus continet. Quo fit, ut ratiociniorum maior pars ne in aliud quidem sermonem verti queat, ita ut concludere aliquid videantur. Est itaque hanc ipsam ob causam Parmenides hic pretiosissimum omnino antiquitatis philosophicae monumentum, quod perspicue hinc intelligitur, quot quantaeque ingenio humano fuerint superandae difficultates, antequam aliqua saltem perfundere luce abstrusissimas has metaphysics notiones posset. Argumenti autem obscuritas